

quod super hoc serventur pacta inita inter dictas partes ante dictam pacem novam superius designatam, et ubi pacta deficerent, servetur jus commune. Item super requisitionem per alteram dictarum partium factam continentem de expensis factis per dominum Padue in constructione et destructione castrorum Portus novi et Castri Cari, actum fuit inter partes predictas, quod dicta occasione prefato domino Padue nihil restitui vel dari debeat per commune Veneciarum. Item super requisitione alterius ipsarum partium loquente de pecuniis, quas Veneti coegerunt dominum Padue dare domino Marsilio ejus fratri, actum fuit inter dictas partes nominibus antedictis, quod ex quo dicta pecunia per dictum dominum Padue soluta fuit ejus fratri, non debeat restitui per commune Veneciarum. Item super eo quod a dicto commune Veneciarum petebantur pro parte domini Francisci Dotti ducati quattuor millia auri, actum fuit inter dictas partes, quod si reperiatur vel appareat, quod propter defectum justicie dicti communis Veneciarum, seu ejus officialium dictus dominus Franciscus Dottus dampnificatus fuerit, quod sibi debeat fieri restitutio et satisfactio per dictum commune Veneciarum. Si vero dictum commune Veneciarum seu ejus officiales in exhibitione justitie secundum usum et consuetudinem dicte civitatis Veneciarum non fuerit in defectu, nihil restituere teneatur. Item super eo quod per ambas dictas partes petebantur expensa, dapna et interesse istius et alterius guerre, actum fuit inter dictas partes et solepniter conventum, quod dicte expense, dapna et interesse compensentur hinc inde et omnino cassentur et tollantur et pro cassatis, remissis et abolitis penitus habeantur. Item super eo quod per alteram dictarum partium petebatur, quod bona mobilia, accepta vel occupata per dictas partes vel singulares personas ipsarum partium remitterentur et quitarentur, actum et conventum fuit inter dictas partes nominibus antedictis, quod omnia bona mobilia capta tempore presentis guerre pro qualibet ipsarum partium, vel in alium translata, quantum ad dictas partes vel earum subditos pertinerent, non debeant hinc inde restitui. Ea